



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

E graui morbo periclitatur. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

nam clementer adhibuit. His ergo meditationibus, quos ad bonam perfectæ virtutis frugem Ignatius reperiebat idoneos, paulatim, & quasi per gradus cœpit excolere: ceteros interim precibus monitisq; prout sese dabat occasio, à vitiorum fœditate deterrens, atq; ad studium æternæ beatitudinis incitans: idq; eo libentius atq; securius, quòd communicandis iis quæ à Domino acceperat, nihil interim sibi religionis ac spiritus deperire sentiret. Nec solum venientes ad se benigno excipiebat alloquio; sed etiam inuitatus interdum ab aliis ad prandium, minime recusabat accedere; nimirum eo consilio, vt ex re & ex tempore sumpta occasione, qui se in Dei gratiam terrestri pauissent cibo, eosdem ipse vicissim spiritualibus epulis, & opportuna quapiam adhortatione reficeret. Atque in hunc fere modum adiuuante Domino permultos ad arctam salutis semitam, à via lata & spatiosa traduxit.

E graui morbo periclitatur. CAP. IX.



Ed in eiusmodi curam dum incumbit ardentius, nec tamen interea fere quidquam de assiduitate precandi, ac de quotidiana vitæ asperitate diminuit, morbum ex ingenti labore cōtraxit adeo periculosum & grauem, vt sæuiente atrociter feбри proxime ad mortem accesserit. quo tempore & oppidi magistratus periculo viri permoti, publice diuersorium illi curarunt necessariis rebus instructum; & præter aliam amicorū turbam, honestæ matronæ, quæ vitandæ pestilentia causa Barcinone sese eo receperant, certatim agrotanti assidere, & nocturnas agere excubias, perinde quasi

quasi in vnus vita salus omniũ verteretur. Atq. his populi officiis, ac pia sedulitate bonorum, ereptus è præsentis vitæ discrimine, in id ipsum iterum ac tertio recidit ob eam causam, quòd nondum plane confirmatis viribus (blandiméta videlicet carnis, & veteris hominis malitiam veritus) præpropere festinatione ad pristinas occupationes corporis animiq. redierat: quarum pondere oppressus, deniq. didicit ipse, aliisq. deinde præcipere solitus est, imbecilla valitudine minuendos labores, curandumq. tali tempore, vt quantum de cõsuetis exercitationibus infirmitas demat, tantum ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem æquitas animi & exemplum Christianæ fortitudinis addat. Vexabat idem etiam corpus debito somno ciboq. fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, vt moderata sobrietate vegetatur animus, sic immoderata vigilia vel inedia vires adeo frági ac debilitari, vt mens earum ministerio destituta vix munere suo fungi, aut ad contemplatione rerum diuinarum possit exsurgere. Vexatus igitur, vt dicebamus, diuturna & periculosa ægritudine, demũ ita cõualuit, vt ex reliquiis morbi dolore stomachi molestissimo subinde cruciaretur: quapropter calceos induere, & panni crassioris tunica cinerea, & capitis tegumento contra sæuitiam hiemis munire sese piorum hominum benignitate precibusq. coactus est,

De inanis gloriæ vitio superato. CAP. X.



Ccessit ad illa corporis ægrotatis incommoda, grauis etiam animi cruciatus, ab importuna quadam inanis gloriæ tentatione profectus. Dum enim ingrauescete morbo

C ij conscien